

Hec vocatio erit vniuersalis citatio que fiet per michaellem quādo voce terribili clamabit. **S**urgite mortui venite ad iudiciū. Que vocatio dicitur tuba prop̄ terribilitatē vocis que audiet̄ in celo in inferno in purgatorio ⁊ in lyngo puerorum. ⁊ statim oēs anime tam bonorū q̄ malorū venient ⁊ quelibet resumer̄ suū corpus virtute diuina licet fuerit combustū vel a bestijs deuoratum. **B**oni autem cū magno gaudio assumēt corpora sua. sicut sponsa accipit vestem preciosā a suo sponso sibi missam ⁊ cantādo dicēt. **G**audens gaudebo in dño. ⁊ exultabit anima mea ī deo meo quia induit me vestimentū salutis ⁊ indumento iusticie circūdedit me quasi sponsum decoratū corona ⁊ quasi sponsam ornātā monilibus suis. **E**sa. lxj. **D**amnati etiam tunc exiēt de inferno licet magis vellent ibi remanere. q̄ modo habent captione latam sed aīa striget̄ in corpore fetido ⁊ ignoto ac si aliq̄s indueret tunica ferrea ignita. **V**enient etiam oēs pueri q̄ sunt in lyngo ⁊ suscitabunt̄ in etate triginta annorū et omnes cognoscem̄ nos. **E**cce hic vocatio vniuersalis ad eternam retributionē. **A**uto. **T**unc mitter filius hoīs angelos suos cuz tuba ⁊ voce magna ⁊ gregabūt electos suos a quattuor ventis a summis celorum vsq̄ ad terminos eorū. **M**at. xxiii. **N**ota cū tuba ⁊ voce magna a quattuor ventis celi quia tunc resurgent quattuor conditiones defunctorū. s. beati de paradyso. ⁊ damnati de inferno. illi de purgatorio. ⁊ pueri d̄ lyngo. **Q**uam ad sc̄m. **R**etributio mercedis erit quando christus dicet bonis qui erunt a dextris seu ad dexteram. **V**enite b̄ndicti patris mei percipite paratum vobis regnū a p̄stitutione mūdi. **E**surui ⁊ dedistis mihi manducare. **S**itui et dedistis mihi bibere ⁊c. **M**at. xxv. **T**unc boni flexis genibus christo regrādo dicent. **G**loria tibi dñe ⁊c. **Q**ui virtute glorie vel diuina ascendent cum christo ⁊ virgine maria ⁊c. osculātes manus christi ⁊ virginis marie. **E**cce mercedez quam expectamus si tenem̄ bonam vitam ⁊ eternaliter erimus in illo honore ⁊ gloria sine alicuius defectu. **D**einde dabit salariū sed penāz dolorosam magis q̄ salariū malis qui erunt a sinistris cum vultu ⁊ facie terribili dicens. **D**iscēditē a me maledicti in ignem eternū. qui paratus ē diabolo ⁊ angelis eius ⁊c. **M**at. xxv. **Q**uia noluitis viuere s̄m meas ordinatiōes sed s̄m malas vestras inclinationes. **E**go precepi humilitatem ⁊ vos fuistis superbi. ⁊ sic de alijs. **I**deo inferne aperi os tuū ⁊ deglutire omnes impios istos. **D**ic quō infernus absorbebit eos illa pena. ideo auiso quia non dico centesimā partem pene. ideo p̄uertimī ⁊ faciatis p̄nitiam. opamini opus vestrum ante tempus ⁊ dabit vobis mercedem in tempore suo. **E**ccl̄. vi. **D**eo gratias.

De eadem dñica Sermo. iiii.

Erunt nouissimi

Erunt nouissimi primi. ⁊ primi nouissimi. **M**at. xx. **V**erbum est christi ⁊ habet magnā difficultatez in theologia. **I**deo volo modo ipsum declarare. **S**ed primo salutē virgo maria ⁊c. **V**erbus p̄positum declarat̄ primo litteraliter narrādo p̄mo historiam breuiter euangelij. **E**t q̄ in sero dñs vinee dixit pcuratori suo q̄ in solutione serua/ret talem modū q̄ primo daret salariū illis q̄ venerunt hora undecima. deinde illis qui venerunt hora nona. deinde illis qui venerunt hora sexta. et sic de alijs. **S**ic q̄ illi qui venerunt primi. fuerunt in solutione vltimi. **O**ccasione hui⁹ p̄bole christus dicit verbum p̄positū. **E**runt nouissimi p̄mi. ⁊ primi nouissimi. **M**odo restat difficultas ad declarandū quō intelligit̄ verbum predictuz. **E**runt nouissimi primi ⁊c. **P**ro cuius declaratione scienduz q̄ hoc verbum. **E**runt primi nouissimi ⁊c. habet veritatem s̄m tres intellectus. **P**rimo s̄m durationem tempalem. **S**ecundo s̄m p̄ditionem mūdialem. **T**ertio s̄m affectionem cordialem. **Q**uam ad primū. **P**redictum verbum est v̄z s̄m durationē tpalem. pro quo sciendū q̄ deus diuisit totum tempus in duas partes. s. in tempus merendi. ⁊ in tempus p̄miandi. **T**emp⁹ merendi est in hac vita ⁊ durat q̄diu durat p̄sens vita in quo meremur per opera iuste patientie iusticie ⁊c. **T**empus p̄miandi est in alio mūdo. qz ibi non est tempus lucrādi aliquid. **Q**uia licet sancti qui sunt in paradyso faciant multa bona opera ⁊ virtiosa. tamen illa non sunt ad meritū gratie sed sunt in p̄miū ⁊ salariū glorie. **D**e his duabus partibus tempis auctoritas. **T**empus flendi. tempus ridendi. tempus plangendi. tempus saltādi. tempus belli. tempus pacis ⁊c. **E**ccl̄. iij. **N**ota tempus flendi. s. peccata est in h̄ mundo per p̄tritionem ⁊ mala p̄mi per compassionem. plagas christi per deuotionem. ⁊ paradysum per desiderium ⁊ p̄templationem. **T**empus ridendi erit in alio mundo in gloria vbi nō est fletus imo absterget deus omnem lachrymā ab oculis sanctorum. **A**poē. viij. **I**te tempus plangendi est in hoc mundo. **Q**uidam plangūt mortem filiorum. vxor mortem viri ⁊ econuerso. q̄dam bonorum amicos. quidam plangunt tempus perditum in quo nullum bonū fecerunt dī. **M**iser ego sum religiosus ⁊ sunt. xxx. anni q̄ habitū porto ⁊ nullū bonū feci ⁊c. **I**te de p̄sbyteris ⁊ laicis. **T**empus saltādi erit in alio mūdo vni saltū siue choream faciūt sancti patres patriarche cū quib⁹ tripudiāt p̄sone que fuerunt misericordes. **A**lium modo faciūt p̄p̄he cū q̄b⁹ tripudiāt deuoti. alium apli cū charitatis. alium martyres cū penitētib⁹. alium virgines cū p̄nitētib⁹. **E**ccl̄. i. **P**ascē inf̄ lūta sepr⁹ choreis virginū sp̄s

Dñica in Septuagesima

Decorus gloria sponsis q̄ reddēs p̄mia. quocūq̄
pergīs virgines sequūt atq̄ laudib⁹ post te ca-
nentes cursitant hymnosq̄ dulces p̄sonāt. **Tē-**
pus belli ē est in hoc mūdo in quo oportet nos
bellare contra mundū per patientiā qm̄ mūdus
dat tribulationes aduersitates derisōes bonis
personis. **Secūdo** contra carnē per abstinentiam.
Caro enī bellat dando malas inclinatioēs ⁊ de-
sideria ⁊c. sed vincit abstinentia. **Tertio** ⁊ demo-
nem per humilitatē. quia sicut ipse est damnat⁹
per sup̄biam sic vellet q̄ omnes essem⁹ sup̄bi vt
cum eo essemus damnati sed vincit humilitate.
Tempus pacis est in alio mūdo ⁊ quietis. **Au-**
to. Sedebit populus meus in pulchritudine pa-
cis ⁊ tabernaculis fiducie ⁊ in requie opulenta
Esa. xxxij. Ecce quō deus diuisit tempus in tē-
pus merendi in hoc mūdo. ⁊ in tempus p̄mian-
di in alio mūdo. **Auctas** christi in qua ponit se-
ptem merita huius mūdi q̄bus corrūdent septē
p̄mia seu beatitudines in paradiso. **Mat. v.**
di. **Beati** paupes spiritu. qm̄ ipsoꝝ est regnū ce-
lorum ⁊c. **Paupes** spiritu sunt illi qui despici-
unt oīa bona mūdāna. etiam si sint diuites non
ponunt ibi cor. nec spem. sed seruiūt sibi de diui-
tijs in necessitatib⁹ ⁊ non in vanitatib⁹. **Alij** di-
cuntur etiam paupes spiritu in maiori gradu si-
cut sunt illi qui p̄pter deū dimiserunt oīa q̄ ha-
bent ⁊ possunt habere. vt sancti apostol. **Chri-**
stus dicit q̄ ipsoꝝ est regnū celoz. **Ecce** premiū
Secūdo beati mites. **Ecce** meritū. qm̄ ipsi poside-
bunt terram. s. v̄luentū. **Ecce** premiū. **Mites**
sunt illi qui nolunt facere pompam in ornatu ve-
stitu nec scutiferis nec eq̄s. sed in corde ⁊ in ore
et in gestu sunt simplices. **Tertio** beati q̄ esuriūt
et sitiunt iusticiam. quia alias gens se occideret
sed qm̄ vident illū suspensum p̄pter furtum ⁊ il-
lum propter homicidiū ⁊c. **Dicūt.** cauebo a tali-
bus. **Prop̄** hoc dñi t̄pales qui faciunt iusticiā
habent hic magnū meritū. ⁊ in celo habent ma-
gnū premiū. qm̄ ipsi saturabunt. **Quarto** beati
qui lugent. scz peccata. **Ecce** meritū. qm̄ ipsi cō-
solabunt. **Ecce** premiū. **Quinto** beati misericor-
des. quia ad instar seminatoris in t̄pe messis. scili-
cet die iudicij metent. qm̄ ipsi misericordiā conse-
quent. **Sexto** beati mūdo corde. s. ab odio ran-
core inuidia mala volūate a malis desiderijs. q̄
niam ipsi deum videbūt. **Septimo** beati pacifi-
ci. i. pacem faciētes cū inimic. **Dicit** Aug. in li.
de sermone dñi in monte. q̄ hoc meritū est mai⁹
ideo premiū corrūdens est mai⁹. qm̄ filij dei vo-
cabunt. **Octauo** beati qui persecutionē patiuntur
propter iusticiam. **Ecce** meritum. qm̄ ipsoꝝ
est regnum celoz. **Nono** beati estis cum maledi-
xerint vobis homines ⁊ dixerint omne malum
aduersum vos mentiētes propter me. **Gaudete**
et exultate. qm̄ merces vestra copiosa est in cel.
Mat. v. **Secūdo** ergo duratione ⁊ t̄palem qui in

hoc mūdo nouissime incipiunt mereri ⁊ in alio
mūdo premiantur p̄mi. si p̄mi ex hac vita dece-
dunt. ideo dicit. **Erunt** nouissimi p̄mi. s. in glo-
ria. ⁊ p̄mi in merito nouissimi in premio. verbi
gratia. **Quis** primo incepit mereri ⁊ esse in serui-
tio christi. **Petrus** ap̄ls vel latro. **Certum** est q̄
petrus qui iaz incepit in p̄ncipio p̄dicatiois chri-
sti. latro autem in fine. tamen latro fuit primus i
gloria. quia eadem die fuit in paradiso ⁊ habu-
it paradysum. ⁊ petrus stetit adhuc per. xxx. an-
nos. **Idem** de virgine maria ⁊ beato stephano
cum stephanus fuit prim⁹ in gloria q̄ virgo ma-
ria. **Idem** de iohanne euāgelista qui fuit de pri-
mis discipulis christi ⁊ de paulo qui fuit de vlti-
mis. q̄ post ascensionē christi adhuc p̄sequeba-
tur christianos ⁊ tamen paulus fuit prior iohā-
ne in gloria bene per. xx. annos. **Idem** de nobis
vnus religiosus erat qui seruiuit christo. xl. an-
nos vel. l. seruādo regulam vota cerimonias. et
vnus hodie profitef ⁊ moritur in sanctitate. iste
qui fuit nouissim⁹ in merito erit tamen primus i
premio in gloria. **Idem** de presbyteris ⁊ laicis.
quot sunt in mūdo qui tenent sanctā vitam amo-
re quoz deus sustinet munduz. quia alias diu
fuisset p̄sumptus forte propte peccata inhabitā-
tium. **Patet** hoc pulchre **Gen. xvij.** quia si de-
cem iusti fuissent inuenti in sodomis ⁊ gomorra
pep̄cisset oibus. **Ait** enim. prop̄ decem non de-
lebo eos. **Tales** aliqñ diu dño seruiūt. ⁊ hodie
baptizatur infans ⁊ morit. ille est primus in glo-
ria. **Ideo** tales non sunt flendi qui p̄spero nau-
gio p̄cedunt vos ad portum salutis. **i. Thessal.**
iiij. **Nolumus** vos ignorare de dormientib⁹ vt
non p̄tristemini sicut ceteri qui spem non habēt
ergo p̄m durationē temporale erunt nouissimi
primi. **Dico** secūdo q̄ predictū verbum ē ve-
rum p̄m p̄ditionem mūdānalem. **Conditio** mū-
danalis est q̄ p̄speritas. s. diuitiarū honoz ⁊ di-
gnitatum ⁊c. elongat ⁊ retrahit hominem a deo
intm̄ q̄ ille qui est in prosperitate obliuiscit deū
Nota ad hoc similitudinē de illo qui cuz ma-
gnis delectationib⁹ ⁊ laboribus enutrit falconē
per tres vel quattuor annos ⁊ aliquotiens fugit
nec vult ad dñm redire qm̄ ab ipso vocatur. ⁊ h̄
ideo est. quia habz stomachum plenū. **Ita** ē ho-
die in mundo de multis. deus nutrit personas
diuites quibus dat prosperitates diuitias ⁊c.
quia nullus potest ista dare nisi deus. dominus
pauperem facit ⁊ ditat humiliat ⁊ sublimat. nul-
lus dicat q̄ habeat p̄p̄ijs laboribus. quia mul-
ti sunt qui laborant qui tamen nihil lucrantur.
deus dat totum. **Et** multi quando sunt pleni re-
cedunt a deo. **Ecce** fugam. ideo sunt pauci diui-
tes deuoti in mundo. quia talis est p̄ditio p̄spe-
ritatis mūdānae ⁊c. **Aucto.** **Incrassar⁹** ē dilec-
t⁹ ⁊ recalcitrauit. **incrassar⁹** impinguar⁹ dilata-
tus d̄: reliq̄t deū factorē suū ⁊ recessit a dō saluta

ri suo **Deus**. xxxij. **Nota** in crassatus. s. delictis impinguatus diuitijs. dilatatus. s. honorib⁹ officijs dignitatib⁹ rē. sō drelīqt deū factorē suum rē. p mūdānalē p̄speritatē. **Oppositū** facit adū sitas que facit hoīem venire ad deū. sicut tribulatio infirmitas p̄secutio paup̄tas rē. **Qm̄** sicut falco plen⁹ recedit a dño suo. sed qñ esurit statim venit ad manū qñ vocat a dño. **Sic** diues plenus recedit a dño. sed paup̄ ad primā vocem qñ vocat a dño. s. in p̄dicatiōe. vel alias statim venit conterit⁹ p̄sitet rē. **Simplices** statim p̄uertū tur ad deū sed diuites mīme. **Nū** potestis dicere r̄ p̄dicare. **Ecce** qualē habet aduersitas cōditionem r̄ efficacīā que facit venire hoīem ad deū qd̄ patet ad oculū. **Erat** vn⁹ scutifer iuuenis fortis r̄ robust⁹ q̄ totū tps suū expēdit eq̄tando rapiendo furādo rē. sed qñ capit⁹ r̄ sniat tunc p̄sitet r̄ perit veniam penitet r̄ dolet. **Gre. Ba** la. que nos hic premūt ad deū ire compellūt. modo fm̄ p̄ditionē mūdānalē in mūdo sunt p̄rimi reges p̄ncipes duces comites barones papa cardinales p̄lati rē. **Novissimi** autē sunt paupes simplices p̄sone in omī loco tam in ecclesia q̄ in platea r̄ in via r̄ in mēsa rē. **Sed** apud deū sunt p̄rimi. qz aduersitas facit ipsos ire ad deū. **Et** p̄ mi fm̄ mūdū sunt nouissimi apud deū. qz p̄speritas elongat ipsos a deo. **Ecce** quō sunt nouissimi p̄mi r̄ ecōuerso fm̄ mūdū p̄ditionē. **De** b̄ dabo vobis miraculū r̄ exēpluz sacre scripture qd̄ christus p̄dicauit de diuite epulone. r̄ de paup̄e lazaro **Lu. xvj.** **Qm̄** paup̄ mendic⁹ lazaro q̄ fm̄ mūdū erat nouissim⁹ apud deū fuit p̄m⁹. **De** diuite q̄ fm̄ mūdū erat p̄m⁹. sed fm̄ deū fuit nouissim⁹ in inferno. **Factū** est autē vt moreret mē dicus r̄ portaret ab angel⁹ in synu abrae. **Mor** tuus est autē r̄ diues r̄ sepult⁹ est in infeno. **Ex** emplū aliud fuit de dauid r̄ frīb⁹ suis. **j. Regi. xvj.** **Qm̄** deus voluit dare regē p̄plo israel. **Di** xit deus samueli p̄phe q̄ iret in ciuitatē bethleem ad ysai q̄ habebat multos filios dicēs qz vn̄ geret in regem vnū de filijs suis. s. illū quem sibi oñderet. **Nota** ysai vocauit aminadab r̄ alios sex successiue. vltimo v̄o ex iussu samuelis dauid. **Et** tūc ait dñs. **Surge** r̄ vnge eū ipse ē enī. **Nota** historiā qz pulchra. **Saul** fuit eiectus d̄ regno. coram dño vitim⁹. corā mūdo primus **Dauid** v̄o p̄mus coram dño. abiect⁹ mūdo. **Et** dic quō p̄rimi erūt nouissimi r̄ ecōuerso fm̄ p̄ditionē mūdū. **Sup** hoc sancti doctores dāt vnaz similitudinē talem. s. de falcone r̄ gallina. quia falco q̄ diu viuūt seruat diligent⁹. **Nota** p̄actice rē. **Oppositū** est de gallina rē. que nō p̄mittitur intrare cāmērā dñi. sed post mortē mutat⁹ fors qz gallina ē prima r̄ portat cum magno honore inter duas scutellas argēteas corā dño. **Falco** autē est nouissim⁹. qz p̄icitur in sterq̄linio. **Idē** in p̄posito de diuite r̄ paup̄e rē. **Moraliter**

nota hic pro diuitib⁹ vt custodiant se r̄ caueant a peccatis taliter qz sicut sunt p̄mi in hoc mundo sint etiam p̄mi in alio coram deo. **Qm̄** diuitie v̄l sunt acq̄sitate iuste v̄l iniuste. **Si** iniuste debēt restitui. si iuste debent in necessitatib⁹ expendi. et non in vanitatib⁹. sed facere ex ipsis opa misericordie r̄ pietatis rē. **Idē** si es in magno honore p̄stitutus cogita qz es imago dei cui fit honor dicendo. **Non** nob̄ dñe non nobis. sed noi tuo da gloriā rē. **Idē** de delictis de quibus potes rectpere fm̄ statum tuū sed non transcendere limites p̄ceptoz dei. **Nota** de quolibet statu libitum. **Paupes** autē qui in hoc mūdo nō habent delectatiōes magnas sed anaritudies miserias r̄ paup̄tates. si ista recipiūt cum salsa patientie. **Licet** in hoc mūdo sint nouissimi. i alio mūdo apud deū erunt p̄rimi in gloria. **Idē** dicit scriptura sancta. **Gloriet** humilis in exaltatiōe sua. diues autem in humilitate sua. qz sicut flos feni transibit. **Exortus** est enī sol cum ardore et arefecit fenū r̄ flos eius decidit r̄ decore vultus eius deperijt. ita r̄ diues in itinerib⁹ suis marcescit. **Beatus** vir qui suffert temptationē qz cuz p̄batus fuerit sup̄. patiens accipiet coronā vite **Iaco. j.** **Dico** tertio qz verbum p̄positū est v̄z fm̄ affectionē cordialē. **Doctrina** est cōmunis sanctorū doctoz in theologia. **Qz** meritum gratie in hoc mūdo r̄ premiū glorie in alio. magis venit ex affectiōe cordis r̄ feruore sp̄s q̄ ex mltiplicatiōe bonoz operū. q̄sto enī homo plus h̄z vel minus de charitate tanto est primus vel nouissim⁹ siue maior vel minor apud deum. verbi gratia. sint duo quorum vnus facit magna opera penitentialia ieiunādo orando magnas elemosynas dando rē. tamen non facit ista cum maḡ affectione cordis r̄ feruore spiritus. licet sit i gratia dei. tamen non est ita inflammatus charitate vt oporteret. alter autem non facit tot bona opera sed solum seruat ieiunia ecclesie p̄sitetur r̄ cūmunicat semel in anno in pasca. audit missam in dñica solum facit aliquas elemosynas. sed ista opera facit cum magna affectione cordis r̄ feruore spiritus r̄ cum magna charitate. ita qz tot⁹ videtur ignitus. **De** his duobus quis habebit maius meritum gratie hic r̄ in alio mūdo maius premiū glorie. **Dico** qz iste secundus quia meritum essentialē seu principale non computat fm̄ multiplicationē siue multitudinē operū vel durationē temporis sed maiorem vel minorem charitatem. **Aug.** **Non** numerositas operuz nō diuertit tempozū. sed maior charitas meliorqz voluntas auget premiū. **Ex** hoc patet quō sunt multi nouissimi p̄rimi r̄ p̄rimi nouissimi fm̄ affectionem cordialē. r̄ multi incipiunt seruire cuz maḡ feruore. vt bear⁹ **Anthoni⁹** q̄ isto respectu dicūt p̄mi. q̄ paulati dimittūt vt religiosi i nouiciatu r̄ p̄byteri r̄ laici iuuenes. s. qñ sunt anti-

Dñica in Septuagesima

qui et senes nullam habent deuotionē. **D**iuerte-
terate dierū maloz **D**ñi. xij. Sunt aliq̄ qui te-
pide et frigide incipiūt seruire deo. sed paulatim
ascendūt et augmentantē in seruitio dei et in ser-
uore spūs. hi ergo qui sunt nouissimi s̄ affectio-
nem cordialem efficiunt p̄mi per spūalem dili-
gentiam et seruoze. **E**r illi qui erant p̄mi effi-
ciunt nouissimi per negligentia et in deuotionez
Ideo ap̄ls ad **R**hil. j. **O**ro vt charitas vestra
magis ac magis abundet in scientia et in oi sen-
su. **I**deo dico vobis miraculum de sophia. cui
tradebant clauem ecclesie **C**onstantinopo. et bob̄
deficientib̄ dedit herbam cū magna affectione
cordis et seruoze spiritus. **I**deo completa eccle-
sia fuit inuenta scriptura in liminari dicte eccle-
sie de litteris aureis sophia me fecit. ecce quō to-
tum opus fuit sibi attributū et non illis qui de-
derunt tot milia floren. sed sine magno seruoze.
Patet ergo quō intelligit. **E**runt nouissimi p̄mi
mi. et p̄mi nouissimi.

De eadem dñica. Sermo q̄ntus.

Singulos dena-
rios accipiētes murmurabāt **M**at.
xx. Sermo noster erit de difficultate
et subtilitate verbi p̄positi. **M**ateria p̄templa-
tionis et deuotiōis pro p̄sonis deuoti et bone in-
structionis pro oibus. sed p̄mo salutetur virgo
maria rē. **S**ingulos denarios rē. **P**ro declara-
tione difficultatis theologice tacte in verbo pro-
posito oportet dicere p̄abolam euāgelij breuiē.
q̄ intellectus litteralis siue historialis est funda-
mentū intellectus spūalis. **D**icat historia ad lit-
teram de illis q̄ murmurabāt dicit thema. **S**in-
gulos denarios accipiētes murmurabāt. **M**o-
do veniam? ad difficultatē theologice. hec simili-
tudo christi ostendit quō christus dat salariū glo-
rie bonis p̄sonis et deuotis que laborāt diligen-
ter in vinea ecclesie militantis p̄ bonam vitam.
Modo ē difficultas in hoc q̄ dicit **S**ingulos rē
In q̄ apparet q̄ non dat nisi vnū denariū cui-
bet et nunqd̄ p̄ tanto et tam longo seruitio non
dat plus. **S**ecūda difficultas q̄ videt q̄ omēs
sint eq̄les in p̄mio glorie. **T**ertia difficultas est i
hoc q̄ dicit murmurabāt. s. vn̄ de alio. et nūqd̄
in p̄adyso ē murmur vel inuidia. **H**as tres diffi-
cultates volo nūc declarare. **Q**uō ad primū
cum dicit **S**ingulos denarios accipiētes. **S**ciē-
dum ē q̄ iste denari? que de? dat bonis oparijs
in fine diei mūdi. s. vite t̄pis ē p̄adysus siue glo-
ria eterna. **H**ūc denariū dat de? bonis oparijs
religiosis q̄ diligēt laborauerūt in vinea reli-
gionis ecclesie. p̄sbyteris q̄ fidelit̄ laborauerūt i
vinea ecclesie. et bonis laicis q̄ fidelit̄ laboraue-
runt in vinea christianitat̄ p̄ bonam vitam. **G**lo-
ria p̄adysi dicit denariū. propter q̄tuor q̄ sunt
in denario q̄ illā gloriā significāt. **P**rimū est scri-

ptura. scdm est figura. tertiu est circularura. q̄-
tum est sonus. **Q**uō ad primū. **S**criptura
que est in denario significat gloriā anime bea-
te que statim q̄ intrat paradysum habet notici-
am et scientiam clarā de oibus scripturis mun-
di. etiam si in hoc mūdo fuerit rusticus siue pa-
stor rudis. et sicut scriptura est in vtrāq̄ pte de-
narij sic statim anima beata habet vtrāq̄ scien-
tiam. s. de deo et de creaturis. q̄ subito aia habet
scientiam de sancta trinitate de patre et filio et spi-
ritu sancto. **I**tem ex alia parte videt statim iū-
ctiōnem hūanitat̄ christi cum diuinitate. **T**ūc
dicit aia. **N**unq̄ potui istud intelligere vsq̄
modo. videt etiam christum in hostia p̄secrata
sicut nos videmus imaginē nostram in speculo
quam nos non videm? modo nisi per fidē. **T**ūc
dicunt anime beate sicut audiuim? s. predicare i
mūdo sic vidimus in ciuitate dñi. **E**cce scriptu-
ra vnus partis denarij. **E**x alia parte aia habet
scientiam creaturarū oium artiu et scientiarum
mūdi. etiam si sit anima vnus pueri vnus dici
statim scit totam grāmaticā et logicā rē. plus
q̄ aliquis phoz sciuit vnq̄. **S**cit oēs naturas et
pprietates aialiu aniū p̄sciū lapidum herbarū
fructuū et elementoz stellarū. cognoiscit omnes
angelos et noia eoz et sanctorz. **G**rego. **Q**uid est
q̄ non videat qui videntē oia videt. ergo bene-
dictus ē ille qui studet in libro bone vite. **N**ul-
ti vadunt ad studia diuersa. x. xij. vel xij. annis.
et tamen parū acquirūt de scientia. sed in para-
dyso subito habet. **P**atet ergo quō denarius si-
gnificat illam gloriā p̄pter scripturā vtriusq̄
partis. **A**uctas. **V**incenti dabo māna abscondi-
tum et dabo illi calculū candidū et in calculo no-
men nouū scriptum q̄ nemo scit nisi qui accipit
Apoē. ij. **M**ora vincenti. s. occasiōes mūdi incli-
nationes carnis et temptatiōes diaboli. **D**abo
māna absconditū et significat delectatiōes glorie
quenūc nobis abscondite sunt. sed dauid sensit
q̄ dixit. **E**t magna multitudo dulcedinis tue
dñe quā abscondisti timētib̄ te. loquit̄ de timō-
re filiali rē. **E**t dabo illi calculū. s. margaritā si-
ue perlā p̄ciosā lucentē. i. scientiam clarā
absq̄ obscuritate aliq̄. **E**t in calculo nomen no-
uū scriptum. s. sciam oium sciarū. **S**ecundo
q̄tum ad figurā imaginis que est in denario si-
gnificat gloriā corpis quam habebit in die iudi-
cij. quia sicut corpora laborauerūt simul cū aia-
bus in vinea christi in bonis opibus. ita non so-
lum aie sed etiā corpi vult dare gloriā. p̄pter h̄ i-
iudicio generali resurgent oia corpa vt recipiāt
claritatē. **Q**ualis gloriā erit et q̄lis delectatio
q̄ gloriā aie redūdabit in corpus. **I**tem imago
regis que ē in denario habet coronā in capite cū
quattuor lilij que significāt quattuor dotes cor-
poris gloriofi. s. p̄ma erit impassibilitas. modo
modica spina siue lapis nos cruciat. sed tūc cor-